

nempe Spontaneum intellecturi sumus, Philosophus per di-
 visionem quandam explicat 3. *Nicom. 1. 8. 4.*; *δοκεί δὲ ἀναγκία εἶναι*
τὰ βία ἢ δι' ἀγνοίας γινώμ. α. *Invitè res fiunt, quæ vi aut ignorantia*
geruntur. Duæ sunt præcipuè animi humani facultates, cogno-
 scens nempe seu intellectus & appetens seu voluntas. Utraque
 facultas ad actiones hominis liberæ & spontaneas concurrere
 debet sic, ut si alterutra absit, actio illa imperfecta & invita
 fit. Quot igitur modis Intellectus aut appetitus potest impe-
 diri, quò minus in actionem influant, tot modis redditur illa
 invita. Jam verò id ipsum duobus contingere possunt modis;
 vel enim intellectus impeditur, quò minus cognoscat id, quod
 scire debebat, atque sic oritur invitum per ignorantiam; vel
 appetitui extrinsecus ejusmodi vis inficitur, ut non possit age-
 re liberè, quæ velit, sed tale quid agere videatur aut pati, à
 quo illius voluntas refugit. Atque sic oritur *invitum per*
vim, quod vocatur violentum.

§. II.

Invitum per vim describit Idem 3. *Nicom. c. 1.* *Βίασι δὲ,*
ἢ ἢ ἀρχὴν ἔξωθεν τοιαύτη ἴσα ἐν ἢ μηδὲν συμβάλλεται ὁ
πᾶσι τῶν ἢ ὁ πᾶσι τῶν i. e. *Per vim verò illud agitur, cujus principium*
extra est, atq; id ejusmodi, ut nihil adjumenti adferat is, qui agit
aut patitur. Sic cum Cassandra Priami filia per vim crinibus
 ab hostibus fuerat è templo rapta, erat actio violenta, cum
 hæc nihil conferebat ad id quod patiebatur. Hic verò nota-
 ri velim, *violentum* non unò sumi modò. Aliter enim acci-
 pitur, quando opponitur Spontaneo, ubi actio violenta est,
 quæ vel per vim vel per ignorantiam fit, & sic dicitur invita. A-
 liter autem sumitur, quando naturæ sive naturali opponitur.
 Violētū priori modò sumtū est hujus loci, nō verò posteriori
 modò acceptū. Sic si priori modò sūitur, etiā lapidi motus sursū
 violentus est, sed incongruè dici videtur, illū lapidē invitè sur-
 sū moveri. Ex hac distinctione facilè solvi potest quæstio, *an vi-*
olentia sit causa actionis invitæ? Violentum enim quod naturali
 opponitur, non est causa sufficiens actionis invitæ, quia est tan-
 tum privatio metus naturalis, & non videtur impedire princi-
 pium